


1. Falonis, Abraham : Decanus collegii theologiae : orationes
variae. Panis Hoffmani. 1663.
- 1^o. Kretschmarus : De Thematide. 1663
2. Klingelius, Christian : De dominio. 1663.
3. Klingelius, Christian : Selector chronologicus
secundum metricalia compilatio Temporum quae in
Iure Canonico, Civili, Feudali et Saxonico occur-
sunt. 1663.
4. Klingel, Christian : De contractibus consuetu-
tibus. 1663..
5. Klingel, Christian : De consultibus Romano-
rum. 1663.
6. Lederer, Michael Friedr : De possessione. 1663.
7. Lederer, Michael Friedr : Ins bestiale. 1663.
- 7^o, 8. Lederer, Michael Friedr. : De jure bestiali. Von Ritter
der Wilden Thiere. 1663. 1725.
8. Lederer, Michael Friedr : De justitia belliprivate.
1663.
9. Lederer, Michael Friedr : De oathsatione defen-
sorum imperfectae actatus. 1663. 2 August.
10. Lyser, Wilhelm : De rebus communibus. 1663.

119.8

12. Leiser, Wilhelm: De capanagis. 1663. 2 vols.
13. Leiser, W. Cheln: De lectionibus. 1663.
14. Leiser, Wilhelm: De oevro. 1663.
14. Martinii, ^{Wm} Theodor: De sanctitate
et iustitia legum Romanae. 1663.
15. Martinii, ^{Wm} Theodor: De jure, quod rati.
ne fidei, donis et negotiis competit. 1663. b. 176
16. Martinii, ^{Wm} Theodor: De iustitia donis, quae in fidei reservatae
G. Martinii, ^{Wm} Theodor: De fidei iustitione
et auctoritati de revolutione. 1663.
17. Martinii, ^{Wm} Theodor: De personis, quae
fidei donum dare vel accipere possunt. 1663
18. Martinii, ^{Wm} Theodor: De dono, quae in fidei iustitione
1663.
19. 20. Martinii, ^{Wm} Theodor: De successione
protectione collateralium et praescriptio-
nem fidei. 1663.
21. Martinii, ^{Wm} Theodor: De actionibus ab feoden
competentibus, et iudicio feudali. 1663.
21. 22. Martinii, ^{Wm} Theodor: De auctoritate iuris
feudalis feodorum: origine ac defensione
1663.

22. 25. Martini, Werner Theodr: De iure Saxorum vetere et
moderno, in generis. 1663.
23. 24. Martini, Werner Theodr: De variis feudi divid-
nitatis. 1663.
24. 28. Martini, Werner Theodr: De successione in feuds.
descendentium. 1663.
25. 26. Martini, Werner Theodr: De invent. tute feudi. 1663.
27. 27. Berger, Joachim: De iure debitoris, ne cegat. 1663.
28. Wachtler, Jakob: De iure escandi ducres. 1663.
29. Ziegler, Kippar: De competitenti delinguentium
Indice et loco. 1663.
29. 30. Ziegler, Kippar: De mohakra contractu. 1663.
30. Ziegler, Kippar: De iuribus magistratus, quae
est de iure comprehendit dignitatis, tum Ecclesiast.
Sicca, tum Civiles. 1663.
31. Ziegler, Kippar: De singulari serventissimi elector
us Saxonie omnia. 1663. 2. Thall. 1663
- es 1679



374.

1663. 51

-9

DISSE^TAT^O IVRIDICA
DE
CONSVLIBVS
ROMANORVM

QVAM

P R A E S I D E

CHRISTIANO Klengeln
ICTO AMPLISSIMO ANTECESSORE CELE
BERRIMO CVRIAЕ ELECTОRALIS VITEBER
GENSIS CONSISTORII ECCLESIASTICI SCABINATVS
ET FACVLTATIS IVRIDICAE ASSES
SORE GRAVISSIMO ETC.

P VPLICAE VENTILATIONI SISTIT
GODOFREDVS SENIUS
VITTEBERG.

AD D. XXIII. MAI ANNO MDCLXIII.

VITEMBERGAE,
RECVSA IN OFFICINA HAKIANA.
MDCCXXXIX.

(5)



Q. D. B. V.



Vænam Reip. facies commodior potiorque
habeatur cæteris; vulgare jam olim inter
eruditos caput agitari argumentum. Non
pauci regale evexere axiomæ, a natura ipsæ
non alienum; idque facilius cæteris tole-
randum. Fucatam in aliis: hic verau-
cerni libertatem. Multiplicato dominan-
tium numero, invalescere serviendi insimul
vilitatem. Ad magnum præterea libertatis indicium esse, præ-
ter Deum & Regem debere nemini quicquam. Quin generosum
& altum imperantis animum discutere plane servitutis opinionem.
Et quemnam aversaturum illum Regem, quem affectus Patrem de-
disset? quem sanctissimum Numen omni virtutum choro decoratum,
Vicarium sibi veller. Parere omnes, incertum, an magis imperio
coactos, an virtutum admiratione captos. Exulare invidiae vivo-
rem, nemine digniorem, nemine meliorum secum cogitante. Quam
sæpe, ajunt illi, in transversum agitur senatus; si qua hunc laudare
sustineas. Quisque proprii commodi studio laborat anxie, sive amo-
re in suos duetus, sive invidia in pares stimularus. In tam excelsø
fastigio positum esse, multum est: cum pauperate luctantes co-
gnatos habere, vel liberorum turbam, eo ignominia prolapsuram,
timere, detestabile & omnibus viribus deprecandum. Hinc proce-
rum prona; sed exitiosa vero amicitia, dicam? an conspiratio.
Liberis viam ad successionem paraturi, quid non moluntur, negle-
cta interea temporis publicæ rei cura? si machinis effectus deest,

A 2

descen-

descendunt ad vim & movent turbide omnia: vel denique familias
 opum multitudine exornant, ne deinceps lateat quemquam, suisse
 ex illis, qui clavum gesserint. Cognatos in publicam lucem protra-
 bunt, munerum splendore honestados; babentes insuper, an impo-
 sito oneri pares bumeri; an vero sub mole succubituri, immenso
 rei communis dispendio. Sic publica ornamen^a, sic publicas opes
 in privatos lares degerit inexsatiabilis avaritia lues: sic quæ utili-
 litati communi destinaverant majorum vota, privatis cedunt. Gras-
 santur, clamant, cætera vitia: vexat cives inusitata tributorum
 exactio: in servilem conditionem detruduntur; donec conclamata
 pene populi res fuerit. Quod si vero summum populo tori jus asse-
 ras; vel eadem vel majora adhuc imminebunt periculose mala. No-
 ra est plebis levitas, impetus, insania, propriiⁱ commodi inexplibilis
 cupidio. Triumphant rusticitas, impotentia, furor. Quod tam vio-
 lenta manu invasere imperium, imperitis ruinam minatur præsen-
 tissimam. Magnum illud decus est: quod si vero non moderate per-
 feratur, in ipsis gerentes ruit. Nam vero quid magis familiare
 plebi, quam acerbissimi odiis virutem persequi; qua se destrutam
 non tam dolet, quam invidioso indignatur? Tum vero ad ignavos
 & inidones deferuntur fasces: factionibus, atque invidia diripiun-
 tur vulgi studia, ut plerumque ad ingens virtutis specimen inter-
 pretandum sit, ab incondita multitudine male multari. Quæ igi-
 tur securitas rebus ita comparatis exoptari poterit, cui paricipa-
 ndae tamen omnis societas inita primum fuit? Quæ quo^{rum} quies,
 inquiete ipsa, ut ita loquar, dominante? Nam ubi summa labar,
 partes turbantur. Et hæc quidem omnia satis sibi sapere & uisu
 nire non semel, haud negare ausim; perpetuo tamen illa felicitatis
 momenta circumstare regale decus; ac prædictam modo vitiorum
 rabiem usque quaque invadere cæteros Reip. status, dubium non le-
 ve habet. Non eadem congruunt omnibus. Diversa capita, diver-
 sa sententia. Et sicuti cibus idem ad hujus palatum facit, quem
 tamen alter abhorret magnopere: ita & quidam hoc imperii genus
 exosculantur, quod fastidiose detestantur alii. Quam sœpe afflictus?
 quam

quam saepe consuetudinis inveterata ratio multum valet? quam
saeppe plus est in opinione quam veritate? versatiles plebis animi
sunt, mox hic, mox illuc inclinandi. Fucus non raro eis imponit:
aliorum dolus decipit saepius: plerumque immensus libertatis, sed et
quamvis et facile nocitur, amor. Quoties bujus vertitur nego-
tium, Dei illi oblii, neminem reveriti, ruunt in omne nefas et
quo quemvis sua libido dicit. Grata sunt regna: veneranda sunt:
et proclamarem ad Monarchie felicitatem, modo Regem genius
admittat populi; modo cestiment probitatem imperantis subditi;
idque nomen non exsti fastidiant. Quod si vero plebs execrata vir-
tutem, aut, si nulla in regnante est, perissa tyranni rabiem, jugo
excuso, optimatibus deferat, vel sibi ipsa cupiat fasces, libera vi-
ta laudata: ergone tum unius regimen praferendum? et infeli-
ces statim tales clamitandi, quod non sub Rege degant? Natura
ipsa nos inclinat ad libertatem, rem inastimabilem: quam si ve-
ram indipisci nequimus, ad simulatam denique prolabimur, con-
tentii qualemcumque possidere. Hinc quamvis in Aristocracia vel
Democratia legum sanctis quoque teneatur populus, non minus,
ac in regno; attamen libertatis umbram non raro verae praeponere
consuevit. Quapropter non simplici ratione quendam statum
prae alio extulerim; sed eum demum, qui Reip. moribusque gentis
congruus videatur. Habeat sua encomia Monarchia; non iis des-
tuta squalerat Aristocracia, vel saepe huic permixta Politia. Quod
si per exemplorum seriem ire placeret, suppetarent non pauca. Li-
ceat nobis in praesenti in Romana subsistere Rep., in qua praeter re-
gium imperium, cetera quoque fuere conspecta: sub quorum statu
mirum quoque in modum aucta legitur res Romana. Exemplo sint
Consules praeprimis, expulsis Regibus, in thronum provecti, multis
praelitis incliti, rebusque gestis in Rep. clari. Adeo ut in praesenti
non frustra fore arbitris; si in eorum naturam intrinsecum que-
dam prolixius paulo perseguar; et quidem ad dictum L. 2. §. 16. ff.
de Orig. J. et O. M. Quod cæptum ut Deus clementer provebat,
sanctissimum ejus Numen submisso veneror.

THES I.

Regiam stirpem e civitate ejusdam locum fecisse Consulibus, ipse Pomponius autor est. EXACTIS DEINDE REGIBVS CONSULES CONSTITVTI, &c. Hujus vero expulsionis iustitiam hic expendere, nil attinet. Verum tamen manet, peccati notam ægre hac in re amolituros fuisse Romanos: cum nullum majestatis decore ornatum, id fatum a subditis experiri, fas sit. Ansam autem his motibus dedisse Tarquinii S. cum negligentiam, tum ambitionem tyrannidem, & Sexti Tarquinii nefarium cum primis stuprum, rerum memoriae constanter tradunt. Postremus omnium Regum (sunt verba Flori) fuit Tarquinius, cui cognomen superbo ex moribus datum. Hic regnum avitum, quod a Servio tenebarur, rapere maluit, quam expectare, immissoque in eum latronibus, scelere partam potestarem non melius egit, quam acquisierat. Omnia quæ a socio laudabiliter constituta, facta ordinataque erant, sustulit atque amovit penitus. Post pergit modo laudatus Florus tamdiu superbiam Regis populus R. perpeccus est, donec aberat libido, hanc ex liberis ejus importunitatem tolerare non potuit. Quorum cum alter ornatissimæ fœminæ Lucretia stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiavit. Erupit igitur hac occasione data, quod diu jam parturiverat Romana ditio. Inflaverant animos civium potentia, opes, libertatis nimia concupiscentia. Ipsi imperium tenere malebant, quam ejusdem jugo submittere cervices. Ac tum quidem generosa virtus in Rep. florere cœperat, semper ad imperandum magis, quam serviendum potior. Paret tamdiu imagine sapientiae, donec vitiorum impatiens, terminis verecundiae dicam, an continentia perruptis, emoliatur, quod ante meditata fuerat? Ipse naturæ cursus mutationis sœpe appetitum hominum mentibus it instillatum. Cum enim segreges coœunt homines primum (siquidem sociabiles eos imprimis facit Philosophus) robore metiti imperium, cum anima.

animalibus, natura ductis, robustissimum quemvis quoque
insequuntur; qui robore nempe corporis, animi præsentia,
audacia opinione, cæteris præstat. Et hinc regnorum or-
tus Tolerant ergo Reges quamdiu placuerint: post tyran-
nos exosi, proceres sibi sumunt in imperantes, non utique
eos itidem, qui corporis mole & spiritus ferocia excellunt
reliquos; sed prudentia fama cæterorum sortem transgres-
sos. Illa enim quantum possint, jam tum cognovere. Et
hinc Aristocratiæ cunabula. Ad ultimum his denuo avari-
tia & fævitia se dendentibus: facile reperti sunt, qui odio-
se potestatis gnari, dicto factoque illos lacescivere, omni
turba eis adhærente. Et hinc tandem Democracya prodit:
quemadmodum hanc Reip. periodum enodat Polybius. Et
idem fere evenit in nostra Rep. Regalem enim dignitatem
in tyrannicam degenerare, populoque gravem incumbere
advertisens Brutus; stultitia larvam mentiebatur, utita maxi-
mum a Rege magistratum naestus, aditum pararet sibi tam
ad arcanorum Regis cognitionem, quam ad deturbandum
de folio Principem. Insigne calliditatis commentum, per
sapientiam stultum esse: & per stultitiam sapientem. Mul-
ta enim subducuntur notitia prudentum, ab astutiam ipso-
rum veritis, quæ penetrare atque cognoscere simulate ne-
gligentia scena potest. Non occultantur arcana fatuo, vim
eorum non intellecturo; quin iisdem, licet caperet, vix usu-
ro. Inter hæc magistratum honores in tales homines con-
feruntur non raro: ne sani præfecti molesti inspectores re-
bus tractandis accedant. Cæterum Regibus authoritate Ju-
nii in fugam conjectis, juramento, ne unus regnaret post-
ea præstito, consules nati omnem potestatem in se deriva-
runt.

II.

Unde vero vocabulum consulis originationem suam
traxerit; non usquequaque inter Autores conventum est:
qui.

quibusdam officii rationem respicientibus: aliis subtilitatis fastigium: nominis vim denique aliis præterentibus. Sunt, qui a consulendo i. e. rogando deducere præsumunt: quod consulentium officium sit, Senatum & populum consulere. Sunt, qui a judicando, interpretando: quod in solo Quintiliano me legisse memini, quando inquit; *sine consul a consulendo an judicando?* Nam & hoc consulere veteres vocavere &c. At enim vero placet in præsens Pomponii Etymon: DICTI AVTEM CONSULES, QVOD PLVRIMVM REIP. CONSULERENT. Non multum abhorret Ulpiani notatio; *Consulis officium est consilium præbere &c.* Id quod quoque eleganter Scriptor Rom. exprimit: *Consulesque appellavit pro Regibus, ut consulere se civibus suis debere meminissent.* Cæterum hic in limine hoc quoque monere habeo; nostros olim Prætores salutatos, a præeundo nempe. Et quamvis id nominis aliis magistratum ordinibus familiare quoque deprehendatur; illis tamen velut per excellentiæ vim adhaerisse putaverim. Hinc Festus: *Initio Prætores erant qui nunc consules:* Et Livius: *His temporibus nondum consulem Judicem; sed Prætorem appellari mos fuit.* Adstipulatur hisce sacer. Imperator Justinianus: est, inquit, *Prætoris nomen Romani Imperii proprium & ante ipsos Consules etiam in veteri atque ampla Reip. constitutione usurpatum.* Ante consules ait i. e. antequam Romanum orbem vidit nomen Consulis. Id quod satis sequentia adstruunt, injecta mentione veteris ac præclaræ Reip. per quam statum Aristocraticum vel Democraticum innure, haud obscure videtur. At enim vero Prætoribus post-hac creatis, generalis illa appellatio in novum magistratum specialiter transcripta est. Et secundum ea tempora legis quoque verba hic informavit JCtus.

III.

Porro de modo, quo ad tantum culmen emicuerint Nostri, videamus. CONSTITVTOS autem fuisse docet JCtus
id

id quod ego interpretor electos. Quamvis enim etiam ad succedentes in Imperii clavum id vocabulum porrigi consueverit; domesticam tamen sedem sibi vindicare in electio-
nis actu, tradunt, qui Politica præcepta interiori paulo ac-
curatione exponunt. Perpetuus sane Imperii conferendi
ac maxime fere proprius gentis Romanæ modus electio est;
successionis fortunam in una stirpe consenescere haud per-
mittentis. Hinc comitiorum institutio: in quibus Magistra-
tus fuisse creatos, quis ignorat? Hinc suffragiorum consue-
tudo, libera plane nec ullius familiæ angustiis inclusa. Cu-
riatis comitiis Numam Regem appellatum, Dionysius autor
est. Quin cæteros quoque Reges eadem via ad regni fa-
stigium enitusse, solo Tarquinio, quem superbum appel-
labant, exempto, facit nos credere Historicorum quorun-
dam intemerata fides. Taceo Tribunos celerum, Quæsto-
res, aliosque Romanorum Magistratus. Et vero quid san-
ctius electione? quid Reip. commodius? scio quidem præ-
poni eidem a nonnullis iuveteratum succedendi modum;
sed ab eorum partibus in præsens vix stare ausim: de Ari-
stocracia cum primis vertente negotio, in qua electionis san-
ctitatem ante omnia laudarem, proficiam Reip. civibus &
maxime amplectendam. Felix est status, ubi cuique ad ho-
nores liber patet aditus; & ut cum Comico dicam; si cui-
libet palma in medio posita est. Tum vero omnes artibus
incumbere impensis, virtuti litare, vitium fugere, spe
tanti præmii adipiscendi freti. Optimatum filii aliorum
exemplis stimulati, & ipsi se virtuti dedent; haud ignari, ni-
hil sibi præsidii in natalibus positum. Multos virtutis alli-
cit veneranda dignitas: non paucos ad eam perducit con-
tumelia metus. Dolet honoribus excidere; in quorum
a pice positos videbamus Parentes. Quod si igitur stre-
nue se gesserint; tum demum in solio considebunt; non
quod Majores id fastigii tenuerint; sed quod proprio Marte,
quod Medici solerit, id concenderint. Electores vero honesti

B

&

& prudentes fidemque publico probaturi, quem alium, quam sui simillimum, nominare poterunt? Et quanta quaeso charitas? quantum vinculum inter electos & eligentes? Illi his debebunt quicquid est imperii: hi, quo semel elegendos prosecuti, alent spectata fide affectum. Ancipitis animi aufugimus notam: & sepe errasse confiteri pudet. Populo vero semper gratias referent tales proceres, memoresque, se ab eo subvectos, moderatius versabunt creditam sibi potestatem. Qui bene paruit imperet bene necesse est: nec aliter praestare se aliis poterit (si sibi adhuc constet nec a se plane abierit) quam qualis optaverit ipse privatus. Intellexit id probe praeter Romanos cæterosque M. Alexander, non fratri, non cognatis, sed optimo tradi regnum cupiens. At enim vero hæc omnia Arniæo prolixius exequanda relinquo; haud inepte in ea differenti.

IV.

Sed postquam arrisit electio ad ipsum ejus actum scrutandum convertor. Constituti dicuntur Consules a Pomponio; sed a quo? quinam? & quo modo? nihil habet. Non abs re igitur me facturum spero, si altius paulo ista repetam. Majestatem a Deo in ipsos fuisse collatam, non habet dubium. Nemo enim imperium sibi procudere; nemo vel in se ipsum alteri id concedere valet. Aequales hac in parte sumus a natura omnes; nec tribuere cuiquam licet, quo destituimur ipsis. Ad Deum igitur, unicum hujus sanctissimæ rei fontem totum defertur negotium. Ille in omnia creata potestatem tenet ex creandi ordine: Ille pro libertu eam communicavit marito, Patri Domino, Principi & omnibus, quicunque demum sint, imperantibus. Hinc æternum Numen sine medio procreasse Majestatis incunabula, & adhuc conferre, adstruere haud erubesco; sola facultate eligendi hominibus relicta. Eorum enim ministerio exhibito, sumit sibi Vicarios, ipsius vicem in terris relatuuros. His igitur partibus fungebatur hic nominatus ad
teim-

temporis spatium Interrex. Nempe ita de mutationis indele habeo : Regibus ab Imperio exulantibus, eligendi libertas recidebat ad populum. Cum vero aucta iam moles sine imperio non tendere; & ad momentum de formae habitudine conveniri, non erat integrum; ex Patribus ad tempus quinquendiale prodebatur Sp. Lucretius interrex, si Dionysio fides habenda, cui interea temporis obsequebantur omnes. Hic igitur summæ potestatis robore armatus, comitiis centuriatis dictis, stipatus tota corona populi, renunciabat duos Consules: Junium nempe Brutum, & Tarquinium Collatinum. Ad instar omnium hic sit Florus, quando habet : *Populus R. imperium in eosdem libertatis suæ vindices (Junium & Tarquinium) transferr.* Cæterum cur duo magis in publicum placuerint, quam unus, execratio Regis effecit, & suasit forsan insignis Senatorum prodentia, sicut in aliis; ita & hic non vulgari laude decantanda. Hominis animus honoris amplitudine elatus, nec superiore nec æquali agnito, ex facili in transversum rapitur, eoque prolabitur improbitatis, ut subditorum salute susque deque habita, populos in sui gratiam productos autumet. Quod si vero duo ejusdem dignationis gradu conspicui, paremque participantes potestatem præficiuntur; alter alterius coercitionem veritus, a malo se abstinet, ne illam in se experiri cogatur. Nec poterit monstri alere quicquam unus, altero inspectore negotiorum, & ejus pravitatem in lucem producturo. Dehinc non movet conspirationis facile ineundæ metus. Illius semen ex intimæ amicitiae visceribus provenit: quæ vix speranda, amulationis scintillis gliscentibus. Illa vero quid antiquius est? Quid frequenter inter pares? Ea est generosorum indoles, ut de virtutis prærogativa certent alacres, sibi æqualem superare omnes vires intendant, & quem dignitatis fastigio transcendere nequeunt, virtutis & meritorum opinione eminere

attentent. Rarius inter tales necessitudinis fœdus est; & nefio quod dissidium semper; utile tamen Reip. eique mirum in modum profuturum. Dum enim quilibet Reip. studere contendit, ambo suarum actionum restitudinem emoliuntur: ac plebis auram captaturi, omni libidine procul abacta, arrogantiæ supercilium, fatale regnantium malum, detestantur, vel non tollere audent.

V.

Absolutis electionis postulatis, in ipsa potestatis consularis adyta, intentiore paulo studio nos penetrabimus. Summa vero potestatis axiome eos fuisse condecoratos, Pomponius nobis author est, quando pergit: **PENES QVOS (Consules) SVMVM JUS UTI ESSET LEGE ROGATA FACTVM EST,** quam scilicet Sp. Lucretius concinnaverat. Quid enim aliud summum jus quam majestas, quam imperium in civitate ubique? Recurrunt invicem majestatis jura & ipsa majestas, nec differunt quicquam Politicis. Ac nihil interest an totum an omnes partes posueris. Per jus summum vero cæterorum jurium chorum quoque insinuari, tradant, qui modos loquendi JCtorum intentius paulo scrutantur. Illi enim sicut plurali pro singulari numero, raro quidem utuntur; ita hunc pro eo apponunt saepius; cum primis si singularis pluralitatis vim tacite commodeque spireret. Nunc vero nullum summum concipi animo potest jus; nisi cæterorum series implicetur in simul. Omne summum perfectionis notam dicit. Jam vero nil in rerum natura perfectum est; quod non ex omnibus suis partibus constet. Quin non unum jus majesticum abstracte sumptum summum; sed si coniunctim spectentur summa sunt. Et vero si superiorem quenquam invocare fuissent coæsti Consules, jus summum ipsos circumstetisse, frustra propugnaretur. Majestas igitur ipsis afferenda; vel ab expressa JCti mente recedendum: id quod hic tentare, temeritatem saperet.

Verba

Verba enim sicut jacent accipienda: & textu generali loquente & nos generaliter loqui debere; Jutorum schola docet. Jam vel limitatae majestatis vel divisae tum temporis cum alio ordine ne ulla quidem injicitur mentio. Ac equidem si Philosophorum scita arcessere vellemus; non pauca supppererent pro nostro asserto urgenda. Dicitur penes Consules jus summum fuisse. Ubiunque igitur jus summum; ibi est potestas in civitate ubique. Nam non quodlibet jus summum est; sed omnia jura simul summa sunt. quod antea constituit. De hinc ubi est jus in civitate ubique; ibi quoque majestas. Posita enim definitione ponitur definitum. Jam vero assumptum de Consulibus impugnari nequit. Apud eos enim jus summum resedisse, textus arguit, si hoc, ergo & jus in civitate ubique: ergo & majestas. Et vero: quicunque summum jus habent; illi sunt supremi. Qualitas enim subjectum suum perficit & denominat. Hinc posita qualitate, quales etiam dicimur. Nunc vero: quicunque sunt supremi (scil. in civitate ubique; alias supremi non vocitandi) illi habent majestatem. Reciprocantur enim invicem: obtinere majestatem; & supremum esse in civitate ubique. Omnes enim habentes majestatem sunt supremi in civitate ubique: & omnes supremi in civitate majestate gaudent. Et sane quid frequentius est, quam genus ponit pro definito? quid enim intererit an quempiam hominem vocem; an rationale animal? Jam vero majestas per jus sive potestatem definiri consuevit haec tenus. Ad ultimum penes alios majestas residere non poterat. Abdicaverat imperium Lucretius: nullam potestatem sibi retinebat populus: consentiebat in Interregis, majestatem consulibus afferentis, postulatum: nullum haec tenus jus exercuerat, nec in electione reservasse sibi quicquam, legitur. Nolo veterum hic solicitare testimonie. *Regio*, Cicero inquit, *imperio duo sunt*

i.e. creati sunt pari cum Regibus in omnibus potestate. Hos vero majestatis robur obtinuisse, quis unquam negare sustineat? Hinc quoque Consulatum regiam potestatem salutavit Livius; & dignitatum fastigium Cassiodorus. Agmen claudat Wesenbecius, quando ait: *Præcipuum fuisse Romæ Consularem potestatem, quæ ad exemplum regiæ dominationis fuit inducta, minime ambigitur neque quicquam de regia potestate ademprum, praterquam quod annum imperium fuit.* Non audio tandem eos, qui personalem Consulibus; realiem majestatem (quæ quidem alias geminæ hujus Majestatis distinctio, si hodiernum Romano-Germanicum Imperium amissitata cura introspexeris, vim ac robur suum habet populo attribuunt: siquidem per naturam ejusdem realis dari nequit majestas Princeps ejus postulatum est, esse summam. Jam duo incivitate summa non deprehenduntur. Aut realis aut personalis igitur alterutra inferior erit. quod si hoc, minor majestatis appellatione non insignetur.

VI.

Et vero modo singulas jurium classes, summam potestatem integrantium, de currere amemus; commentabit se præsentissimum majestatis argumentum illico. Inter illa vero eminet in caput potestas, jus omni imperio quam maxime naturale, & principium, ex quo cætera, quæ in subditum valent, haud obscure promanant. Nullæ Leges (ut cætera taceam) poterunt scribi, terrorem majestatis non reveritis: non in bellum educi quisquam, nisi ex hoc juris capite. Illo vero Consules initio fuisse circumdatos, ex texu elucescit. Jure enim summo polluerunt: jam vero nulla potestas sine jure vitæ necisque summa laudari meretur, quia ne ullum jus majestaticum absolute exerceri potest; principali hoc fundamento everso ex hoc enim cetera pendere omnia, infra annotabitur. Et quid in re

in re manifesta labore? Junius testis venit, ipse hoc jus executus. Ille enim adolescentes nobiles suosque ac fororis filios; quod consilio Reges reducendi inito, compara ta factione, turbulentio dramati caput dederant, securi per cussit: si quidem fides habenda Livio, Plutarcho ac Dionysio. Quis jam dubium reddiderit jus vitæ & necis Consulibus, tam manifestis indiciis rem loquentibus? Frustra enim sunt, quicunque hoc judicium ad privatum interpretari præsumunt: Romulum primum Regem omnibus Patribus fam. in natos coercendi ac puniendi capitali quoque supplicio potestatem fecisse. Ex hoc igitur nomine illo mortis genere juvenes affectos: non autoritate publica: non vi summa potestatis. Quamvis enim facile dede rim tum temporis ius vitæ & necis in liberos Parentibus; ultra causas tamen privatas id porrectum a Romulo, nec exempla nec ratio suadent. Luat publice, quisquis peccavit in publicum: & qui læsit omnes, in omnium quoque ore plectendus venit. Salus populi privato committenda non est; quæ sæpe ex pœnæ severitate crescit; conniven tiae vero malo tentanda facile & evelienda. Suspectum hac in parte domesticum judicium quam sæpe affectus impensior ex virtutis tramite in devia injustitiae proruit? male qui videt, causam decidit; nec ullus fere tam durus Pater, qui filii precibus delinitus, petitioni non cedat. Proinde Romulum publicas causas exemisse, veritati admendum est contentaneum. Et enim vero non ut pater, sed ut summus Judex in mortem dedit proditionis reos Junios. Omnem enim amorem, omnem affectum exuit hic dicam magis, an simulata scena occultavit? Non alio sane, quam rectitudine judicii se suis probaturus, nec suo parcere san guini demonstraturus, delictis contaminato, id quod forsitan Parens migrasset, privati personam referens. Ad ultimum quod illi jus in fororis filios? quod in reliquos con spirar-

spirationis socios? quod vel unice nostrum assertum in dubitatum reddit. Sequebantur Patris familiam filii a suo igitur Patre coercendi, si privata quæstio hic obtinueret. Minus movet, quod alii nescio hic quam autoritatem populi somnient, qua duce morti damnaslet Brutus fontes: siquidem haud mora, in consulo populo, quin & contrariante paululum, suum jus exercuit.

VII.

Ex hoc igitur fonte propullulat legum latoria potestas; ut legi, de qualibet civili re a personis Majesticis conditæ, teneantur obsequi parentes, nisi refractarii multam gravem in se experiri malint. Frustraneum fuerit omne judicium civile, nisi illud exequi & valido decreto in actum deducere queant. Hoc vero jus tum transcriptum est in Consules: adeo ut omnia tum eorum jussa legis valorem quodammodo fortirentur. Inutili enim sat accuratione quidam primis Reip. temporibus leges denegant, quod regnantium manu tunc omnia fuerint administrata. Nam imperantium voces, licet in Scripturam non redactæ, vivæ leges sunt: nisi ad sensum R. speciarem notionem legis capiamus: quam vero hic non intendimus. Legum latorum igitur officium in eo potissimum se commendat; ut variata temporum, actionum & personarum facile, judicium quoque civile mutatis aptent, legum sancta vel migrant, vel abrogant, vel si leniore via incedere liceat, commode explicent, vel antiquata, rei tamen communi proficia restaurata inducent. Egregia omnia & a costris Consulibus fere observata. Condita urbe Roma, confluenteque immanni multitudine, hanc incondito motu tendentem sine legum tenore regi non posse, pronunciabat idem & conditor & Rex Romulus. Hinc ad hanc curam conversus leges tum folio fulciendo, tum rei communi privatorum stabilientes, præscripsit. Iisdem mox partibus functi successores &

& cum primis Tullius. Piores Reip. forma excussa prescribebant Nostrī, odiosas & satis populo suspectas: harum quamplurimas consuetudine approbatas fovebant, incerti juris nomine a Pomponio expressas. Inde est, quod Patria potestas moribus recepta dicitur Ulpiano. Inde est, quod incēnia sacrosancta habeantur, & alia, quae hic reperire nimis longum foret. Ac quasdam equidem sanctiones ex istis nominatim confirmatas a Nostris legimus. Quid? quod nonnullæ de contractibus latæ, & sive negligentiae torpore exoletæ, sive nequitia Tarquinii, reprobatae, renovate a Junio fuerint; quod populares viderentur & humanitatis æquitatisque plenissimæ. Sat prudenter equidem. Corpori enim hominis per singulos dies aliquid vitiī accrescit, quod nisi tollatur mortiferum parit morbum: Resp. quoque quotidie a primo suo robore abscedit, ad quod nisi revocata senio demum expirat. Novas vero fabricasse & in ordinem redigisse leges Nostros, non vero videtur simile, tacente nostro Jure, & tota rerum conditorum turba. Cadat ergo formula, quicunque hoc jus Nostris ambiguum reddere contēdhit; quod nova non erexerint sanctitatem; quin id potius cum summa sapientia ambulasse crediderim. Moderate ferendum novum imperium: nec multis innovationibus onerandum. Imminui jura plebs putat, quoties gliscit potestas. Pronior ad mutationem, prioris nondum obliterata. Confundit ejus memoriam novarum sanctionum multitudo: & ad suum commodum quamvis fixas ad damnum sibi interpretatur. Peregrinum victum non bene statim concoquunt stomachi: & salubrem quamvis, fastidio tamen dusti, non sine viscerum motu redditum. Perinde cum legibus populo ferendis se habet. Subitam veterum mutationem novarumque duram inductionem non patitur; utilitateque vel non attenta, vel ejus anxia diligentia spreta, excutit jugum am-

C

bi-

bitiosum & insolentia suspectum. Hinc consternationis materia: hinc tumultuaria concio: mox conjurationis actus & fatales turbationis procellæ. Quæ omnia prævidere boni imperantis est: evitare non nisi optimi. Illa igitur cura nihil antiquius habuere aut prius Nostri. Quamdiu vero hanc consuerudinem incerti juris tenuerint definit, Ictus cit. L. 2. §. 3. quando subjicit: idque prope 20. annos passus est. Quod spatium an longius protendum sit, nolo hic lacestere Historiarum compilatorum controversias, eorumque auxias computationes emendicare. Sufficiat in præfens probasse; quod nullum novum jus, subditorum statum concernens, fixerint consules nostri.

VIII.

Hæc quippe omnia de Lege ad privatorum conditio-
nem respiciente intelligenda veniunt: quasdam enim pu-
blicatas regimini stabiliendi, non iverim inficias. Nec
eæ turbaturæ metuebantur plebejos animos. Quo faciunt
Livii verba afferentis; *Brutum ex Senatus consulto ad popu-
lum tulisse, ut omnes Tarquiniae gentis exules essent.* Quod
tamen edictum proscriptionis potius, quam legis proprie-
sumtæ titulo insigniendum, adstruxere alii. Tentari por-
ro posset, per Senatus Consultum non indigitari Sæta, quo-
rum passim in nostro corpore injicitur mentio, quæque or-
dinis amplissimi decreta, item amplissimi ordinis consulta salu-
tantur. Quamvis exinde non negata velim illis temporib-
us consulta Senatus: id faltem adverto, abhorruisse ea
& tempore Regum & nostrorum Consulum edita multum
ab iis, quæ hodie nostri Juris classem exornant. Tum
enim temporis ad instar consiliariorum adhibebantur ex-
aminandis consiliis Senatores. Hinc denuo saepè laudatus
Dionysius: Senati dignitatem ac potestatem eam addidit
Romulus, ut de iis, de quibus a Rege ad ipsum relatum
esset, decernat &c. Promde nihil quicquam extricabant

ne-

negotii, quam quod eis imponebat Princeps; nec fortiebatur decisum legis valorem nisi superveniente Regis auctoritate. Habuit enim eos ut Paterculus meminit instar consilii publici. Ex arbitrio itaque regnantium pendebat, an consulto Senatorio ordine & rogato populo disponere an vero ejus sententias cognitas ratas pronunciare, an in diversum abire voluerint. Quamvis prius magis frequentatum constet, ut imagine quoque libertatis eo facilius imperata facerent subditi, ipsi a regiminis exercitio non plane exclusi. At enim vero voluntarium saltem id existimaverim, & regio & Nostrorum statu florente, quod in necessitatibus postea transit legem. Nostros enim migrasse aliquid circa Senatorum dignitatem, majoremque potestatem pristina in ipsis transfudisse, nulla vestigia Annales habent Processu tamen temporis frequentius Senatorum prudentia consuli adsuevit, donec ut Pomponius ait, *quia plebs difficile convenire caput, populus multo difficilior conveniret, b. e. ut Justinianus loquitur: cum autem esset populus in eum modum, ut difficile esset in unum eum convocari; necessitas ipsa (ut Ictus progrederitur) curam Reip. ad Senatum deduxit.* Quam quidem causam vellicant nonnulli, ut pote inermem nec satis validam; quin in congruam plane, si principia attendas SCTorum, longe ante hanc transcriptionem usurparorum: attamen si mentem ICTi, non principalem sed impulsivam, vel concurrentem saltem adducturi causam recte perpendere ames, expirabit forsitan absurditatis color. Eo enim videtur ipse collimare, tum demum SCTa propria Senatus auctoritate facta cœpisse; & quidem de iis rebus, quæ alias ad populum ferri, & de quibus ipse legem sancire solebat. Tunc vero poterat proprio motu legem scribere Senatus; nec ei incumbebat amplius operiri, donec cosuleretur. Omitto cæteras differentias exequi, quomodo loco, numero Senatorum, forma concepta & alijs

C 2

SCTa

SCTa sub Regum & Nostrorum ævo facta, ab hodiernis fuerint diversa: potiora attigisse sufficiat.

IX.

Reliquorum quoque jurium proprietas vindicanda Nostris breviter. Et vero exercitum quoque scripsisse summos duces, ductitasse eum in bellum Nostros, agmina in armis stantium circumvisse, imperata dedisse, omnibus Imperatoriis officiis functos, inducias pactos, fœdera perfidisse, pacis legem victis præscriptissime; quoad omnia post cæteros cum primis Livius perspicuus auctor est. Hinc oratorum Princeps: *Consules militia sumnum jus habento: nemini parento &c.* Quid de reliquis dicam? vestigalia exigere, tributa recipere, sacrorum curam gerere, circa æarium dispensare. Postremum exemplo Bruti, servo Vindicio pecuniam ex æario largientis & libertatem addicentis, satis superque liquet. Idem sacrificulum etiam regem ad certa sacra obeunda, quæ a Regibus haec tenus confueverant fieri, creavit. Cæterum Collatino invidia suspicioneum contrahente, & ex urbe exsule, Valerium in deficiens locum sufficit Junius. Tum vero ambo æquali consortio conjuncti, numerum Senatorum ad centum & septuaginta quatuor, si Festo fides habenda, imminutum, primis equestris ordinis adscriptis, iterum expleverunt. Infallibile argumentum potestatis circa magistratus ordinandos. Et cum tantos magistratus constituerint, quis reliquos inferiores nominasse, unquam addubitet? Cui enim magis licet, eidem & minus ex injuria denegatur. Tributa & vestigalia assumpisse belli apparatus evincit, sine pecunia vix meditandus.

X.

Nunc demum ad provocationem devenio: Jus omnium maximum & potissimum hic disceptatum. Cæterum tam arcto vinculo majestati connexum, ut nullo modo

do illa salva & incoluim̄ avelli, aut sine ea jus summum,
quod hic inculcat ICTus, conspici queat. Suprema enim
illa & decretoria jurisdictio torma & substantia est maiestatis
cujus provocationem tibi non retines, ejus ne superioritatem
quidem habes: quam abdicare, farto tectoque imperii jure, nemo potest. Eam vero circumstetisse Nostrorum vel ex ipsis fl. nostri ultimis verbis conficitur: *Qui NE PER OMNIA REGIAM POTESTATEM SIBI VINDICARENT, LEGE LATA FACTVM EST, UT AB EIS PROVOCATIO ESSET &c.* Primum enim summum Jus ICTus iis attribuerat: post illud infractum asserit lege condita. Substituisse oportet, quod corruit: nec privabor, cuius copia nunquam mihi facta est. Exponit simul causam impellentem: ideo excidisse illis juribus, ne regiam potestatem affectarent. Quis vero illud moliebatur? Quis legem de provocatione alienanda sanciebat? Valerius certe, nisi omnia Historicorum fundamenta destruere placeat. Is enim, Bruto in pugna contra Vejentes, Tarquinia gentis defensores, hasta transfixo, vieto pulsoque hoste superior, lectis spoliis, Romam inde triumphans revertebatur. Tum vero mutatis vulgi animis, ex favore suspicio, ex suspicione invidia. Collegam enim non surrogabat in mortui locum: ædificium moliebatur in summa Velia, alto satque munito loco; ut arcem inexpugnabilem ibi fore, Valeriumque regnum concupiscere, velox jam fama totam urbem discurreret. Sive revera id animo volvebat, sive fucus imponebat turbæ, hac in parte facile credulæ. Illa enim libertatis semel paratae tenax, postquam vel minima vox ejus perdendæ inaudita est, vel exilis conjectura apparet, sui impotens prolabitur, præversura tyrannidem potius; quam expectatura. Hinc stupens novum monstrum, prioris adhuc satis memor, seditionis vocibus sparsis, tantum non tumultuabatur. Tunc vero Valerius, in hisce periculi imminentis

angustiis destitutus, imperii clavum sibi extortum iri prævidens, ad Politicam artem conversus est. Demolitus de nocte ædes, post progressus in concionem populi, submittebat fasces. De hinc lege de provocatione ad populum concepta, Consulibus summum Jus abstulit, quod certe antea possidebant. Brutus enim nunquam, nec eo vivo Valerius aut initio Collatinus, brevi imperio infelix, quicquam instituerunt populo in visum. Qui igitur regiam potestatem sibi vindicaturi metuebantur? Defuncto vero ex vulnere Bruto, tum demum Valerius, in diversa abiturus, per illam legem coercebatur. Quod si vero illam affectati suspicionem imperii caute declinasset; nec talis forsan effectus, sine illa prævia causa, insecurus fuisse. Ad ultimum dicit Pomponius: LEGE LATA FACTVM EST. Quodcunque ergo prodit: antea non adfuit: Quodcunque mihi acquiritur, eo antea me orbum fuisse oportet. Quod enim jam meum est, amplius meum frustra efficitur. Quin per illam legem delatam ad populum provocationem, quis deneget? Apud quem enim interea temporis resedisset? (Majestas enim expers divisionis, omnes classes perfecte expedit:) Apud interregem? qui omne imperium Consulibus circumdederat. Apud senatum? qui inferior & magistratus a Consulibus ordinatus, suppletus pro libitu, sicut tempore Regum convocabatur & dimittebatur. Quæ ergo superioritas; quam tamen desiderabat summa provocatio? Apud populum? ergo erroris insimulandus cum ICto Imperator, dum asserit ille, tum demum lege effectum fuisse. Ejus vero authoritatis fanaticitatem tentare; nefas censebitur. Quare manet apud Consules nostros tum temporis sitam fuisse, donec eam abalienaverit Valerius uti supra constituit.

XI.

Et sane omnes partes majestaticorum juriū hastenus decla-

declaratae fuere & stabilitæ, ut quicunque eam integrum
Nostris adhæsisse adhuc pertinaciter negatum ire sustineat,
in profusos errores se induat. Ac qui equidem veritati
ipſi cedere detrectat; speciei attendat solummodo & opi-
nioni, facile hic eum ad veritatis simplicitatem perdueturæ.
Fallunt quidem externa signa ſæpius: quoties vero rei ipſius
indoli accurrunt, non ſternanda temere. Præ cæteris in-
ternosci, & a reliquo populo diſcerni multum juvat: & ſæpe
habitū excellentior nescio quam reverentiam vulgi animis
infundit. Non enim tam honor quam ejus inſigne attendi-
tur. Quare adoranda Regiorum inſignium dignitas No-
ſtros quoque eximie adornavit, quæ Consularia ab Ulpiano
non immerito appellata. Euntes antecebat lictores, ſuc-
cinctis veſtibus expediti apprehenendis coercendisque fa-
cinoſis, quin fasces præferebant, parati quoque ſubmo-
vendæ ſtipantium turbæ. Hinc Livius: *Omnia jura, omnia*
inſignia priui Consules tenuere: & iterum: Consules in ſedem
processere ſuam, miſſique lictores ad ſumendum ſupplicium, nu-
datos virgis cædunt, ſecurique feriunt. Tum temporis enim
& ſupplicium ſamebant de ſontibus lictores, fasciculo vir-
garum & ſecurium, quæ eis hærebant, id ſatis indicante.
Liceat hic Plutarchum audire, ſat prudenter in hujus rei
cauſam differentem; *Vel indicium, inquit, id fuit iram ma-*
gistratus non debere in proclivi eſſe & ſoluto: vel propterea ſic
inſtitutum, ut ſoluto faciūm, quæ paulatim fit, moram ali-
quam iræ injiceret, & cunctatione: feciſſeque nonnunquam,
ut ſententia de exigendo ſupplicio mutaretur. Virgas vero &
ſecures ſimul ipſas prælatas, ut cum vītorum alia ſanabiliā ſint,
alia iſanabiliā, virgis corrigerentur, quæ emendari poſſent,
ſecuribus amputarentur immedicabiliā. Hoc igitur inſigne
tantum terrorem incutiebat animis, ut ad eximium indi-
cium potestatis in caput plebi fuerit. Hinc duplicatis
fascibus, arrogantiæ opinionem a populo ſibi metuentes

Con-

Consules, convenere invicem, ut alternis mensibus cum securibus fasces haberent. Hinc per circuitum Ovidius ita alloquitur Consulem:

Cum tua bis seros numeraret purpura fasces.

Proinde prior iis potitus Junius eorum quoque vim exercuit in plebendis proditoribus. Alteri vero Consuli lictores interim cum virgarum congerie famulatos esse, post reliquos Jano Grutero arridet. De cætero recte atque ordine egisse Nostros, divisis fascibus, probabit, quisquis Politicas hausit artes. Sæpe externa & moderata species multum yalet ad dementandam plebem. Ex illa judicat simplex ac fatua; & haud raro non tam ipsam rem, quam ejus signa aversatur. Adhæc necessitatis lex ipsa monebat, ut comparata modo dignitate non ambitiose uterentur. Statum enim confirmaturos plebi aliquantulum indulgere oportebat: ut quocunque modo libertatis participes cives sibi visi, eo mitius adsuescerent novæ regiminis indoli. Non possum quin Livii effatum sat acutum apponam, quando, *Liberatis autem, inquit, originem inde magis, quia annum imperium consulaire factum est, quam, quod deminutum quicquam sit, ex regia potestate, numeres.* Omnia jura, omnia insignia primi Consules tenuere, id modo cautum est, ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur.

XII.

Inter hæc sella curuli, ex ebore confecta, vectos quoque ad exemplum Regum Consules, abs se satis clarum est. Cur enim ea sede se abstinuerint, successoribus quoque eandem, quamvis non pari Jure, occupantibus? De majore, ait Suetonius, negotio acturus in curia, medius inter Consulum sellas, Tribunicio subsellio sedebat. Nec de prætexta toga dubitaverim, succurrente satis Lipsio. Veteri, scribit, Rep. apud Consules hæc in usu: *Fasces duodecim cum lictoribus, sella curulis, prætexta toga eaque domi*

domi sumpta primo magistratus die, ante DEOS penates. Quid de Scipione eburneo, sceptrum referente, tandem profaram? Illum primum sibi in manum dedit Priscus Tarquinius, in cuius morem æmulati sequentes, ad ipsa Consulum tempora eum transtulerunt. Pronuntiat de priscis Consulibus Valerius; eis non rubori fuisse, eburneo Scipione deposito, agrestem stivam aratri repetere. Hinc Scipionem pro ipso Consulatu usurpavit Ennodius. De isto reliqua insignia persequi: cum nec necessitatis nec instituti ratio patiatur: neque multum adeo præsidii in reliquis collocatum censuerim. Hinc ad textum redux, quomodo Consulum potestas imminuta fuerit, paucis recensurus.

XIII.

Subtexit enim Pomponius: **QVI TAMEN NE PER OMNIA REGIAM POTESTATEM SIEI VINDICARENT, LEGE LATA FACTVM EST, UT AB EIS PROVOCATIO ESSET, NEVE POSSENT IN CAPVT CIVIS ROMANI ANIMADVERTERE, INJUSSU POPULI.** Eam vero rogavit Valerius affectatae monarchiæ suspectus, uti supra fuisus dedi declaratum. Hinc postea sive quod re vera, sive simulata fronte populm coluerit, Poplicola appellatus. Tum vero majestatis axioma transcribi in populum: fasces eidem securium submitti, retenta saltu virgarum congerie: Consules in magistratus nomen tantum non incidere. Simulachrum perdurabat saltu potestatis summae; & nescio quod venerandum plebi vespigium. Majestatem enim eis adhuc circumdare, vel illam divisim in utrosque ordines competuisse, statuere, intricata spirat difficultatem. Arctissimum & inseparabile ejus postulatum est, neminem revereri superiorem in civitate. Quin intimæ essentiae impressum cerni in civitate ubique. Duos soles non patitur terrarum orbis; nec duo summa imperia una ditio perfert. Jam vero summa Jura populo addi-

D

addicta erant: qui igitur apud Consules remanere poterant? Nec particulas jurium ceterorum relietas asseverare. Cum ex iis principalibus omnia dependeant. At enim vero exercuerunt tamen reliqua? ita est. Sed quam diversum, jus ex se tenere: & ejus usum alteri referre acceptum! Illud eminentiae est: hoc undi tituli & exercitii. Precarium imperium abhorret a se ipso: nec ullius ignoriniae mentio magis unquam terruit imperantes, quam illius. Ex jure vitae & necis & provocationis titulo, tanquam immoto fonte & fundamento, cum reliqua jura tum superioritas derivantur, quibus migrantibus & ipsa majestas exultat. Aut igitur communicavit majestatis particulias saltem, aut abdicavit quasdam, detentis ceteris, aut omni potestatis vigore se exxit Valerius. Prius aperte fallit. Non enim in consortium populum sibi adscivit Poplicola, ut aequaliter cum ipso illa jura versaret; sed lege efficaci sanxit provocationem ad populum, quam si populus accipit, penes ipsum remanere per naturam non potuit. Duo enim provocationis jure separatim gaudere nequeunt: quia illa majestatem infert, quae in una civitate quoque una saltem est. Post jus vitae & necis subtexuit, apertum alienationis documentum. Sibi enim ipse id sat perspicie recidit sanciens, ne posset animadvertere. Qui igitur actus, potentia sublata? Adhæc adjecto, quod potissimum urgeo: Injussu populi, ergo potuit ad ejus mandatum. Si cum ICTis ex contrario argumentor: Jam vero nihil majestatis indoli adeo repugnat, quam juberi ab altero. Et sane cessat communicationis opinio, quotiescumque fundamentum ita communicatur, ut eodem privemur ipsi. Illas vero alienatas potestates intimam majestatis naturam circumstare, infra adhuc evadet clarius. Ad abdicationem ergo partiam, ut ita loquar, negotium verget? Impossibilis ea videbitur cardinalium jurium, si, quicquid sit majestatis, retine-

tinere placeat. Qui igitur hoc instituit, reliqua simul iura racite transfert, quæ sine eorum allegatione non exeri, & facili negotio ab eisdem suffocari queunt. Nempe breviter ita habe; Fundamentum sequuntur reliquæ qualitates. Penes quem illud residet, ita ut alter ne quicquam id simul participeret; eum reliqua jurium insignia comitantur. Vi scilicet consequentia, cum exerceri sine illo haud sit integrum. Jam vero id eximie in jure vitae necisque se prodit. Cerne legam incunabula: cerne belli pacisque potestatem. Ille scribi non nisi subdito possunt: alias facile irritæ futuræ. Quid enim si refrageretur? si nolit audiens esse dicto? si leni manu duci detrectet? Aut plectas eum, aut majestatis spretæ contumeliam dolere habebis. Hoc experiri acerbum & indignum plane majestate est: Illud frustra conaberis, animadvertisendi in ejus caput potestate orbus. Sed vero implorabis forsitan alterius opem, id axioma tenentis, ut adigat ad obsequium refractarios. Tum vero laudas superiorem, facultatem tuam nullam fateris, excusatim aperte nudum demonstras, plane juri quod ex te haberet, dissimile. Sed vero nec belli jus hoc modo proderit, maximo momento destitutum. Sine militi & pecunia, rerum gerendarum nervo, bellum geritur nullum. At enim si nolit subditus tendere in aciem, vel solvere sumptus ad legendum exercitum? cogendus erit. Sed ista coactio presupponit jus in caput, & in territorium facultatem. Quid de Tributis dicam? Quid de judiciis cæterisque juribus? Illa non exigi: hæc non exerceri vel capitaliter, vel indicta multa, par est propria autoritate; nisi fundamentum possideas.

XIV.

Tentari igitur ultimum potest: Valerium amotis principiis juribus, reliquis simul tacite, & ut cum Philosophis loquar, implicite renunciasse. Tum vero nata Democracia.

D 2

tia.

tia. Quamvis non iverim inficias; consules adhuc, tam
quam maximos magistratus cultos, & cum eos, tum Sena-
tores saepe exercitio abusos. Sunt quidem haud pauci,
qui majestatis facultates tum in Consules tum in populum
divisim se diffusisse propugnant, moti cum primis Histo-
ricorum monumentis, a quibus mox autoritate, mox po-
testate, mox ipsa majestate armantur Consules, post provo-
cationis legem. Ac eos quidem facile permitto suo abundare genio: id saltem moneo, autoritatem tanti non esse,
ut majestas elici exinde queat. Ubi imperant omnes, pa-
rent singuli, cuique magistratum sua constat authoritas:
quicquid tanten ejus est, ex radicali potestate, in populo
fundata, defluit. Accedit Solis lumen, Lunam, non di-
utius quicquam lucis dispersuram; quam illud sidus beni-
gnius radios suos eidem commodaverit. Potestas Consulibus
superfuit; sed non summa. Majestas nulla; sed ampli-
tudo. Hanc enim cum illa confundere amant saepius His-
torici. Unde Tacitus: *majestas i. e. amplitudo sive autho-*
ritas Principem defendit. At enim eam saltem merus &
admiratio pariunt. Concomitans majestatis est; sed inferio-
ribus potestatis quoque commune. Nec demum atten-
dimus Polybio, tres classes hic extrenti, conspectas simul
rum temporis in orbe Romano. Consulibus imperium
dat, Senatui auctoritatem, potestatem populo, eam feli-
cissimam auguratus Remp. qua tribus formis vestita simul
laudaretur. Liceat quidem viro Historico potestatis radi-
cem cum exercitio confusisse, posito forsan imperio, pro
ejusdem administratione. Fefellit enim forsan ejus judi-
cium, quod regimen administrabant Consules; qui inter-
rim parum curavit, an ex se, an precario illud gubernar-
ent. Qued illa missio prae ceteris fortunata exclamanda
veniat, nolo hic tangere. Certum est, vix confusionis
periculum, illa admissa, iri declinatum. De cetero ma-
gis

gis rem intricat, quod extra urbem usque ad 100. lapidem Consules provocationi cedere non fuerint astricti. Præterea reponunt, ipsos & tempore belli noxios, sine populi conscientia, dignis modis suppicio macilare potuisse. Hinc facile esset colligere, eos & tum in consortium majestatis fuisse adoptatos. At enim vero illa quæcumque sint, nondum summiæ potestatis particulas; sed nudum exercitum, extra urbem cum tanto effectu commissum, arguunt. Nimurum majestas habebat populum: cum vero omnibus negotiis non sufficeret, nec singulis controversiis decidendis, extra urbem cum primis exortis, diem dare vellent, quosdam protrahebat in consortium publicæ lucis, fine ipsorum consensu jus ibidem reddituros, eamque copiam faciebat consulibus. Sed illa administratio saltem revocabilis erat, facile a populo, si placuisset, immutanda. Quod si ullum jus in eisdem fuisset radicatum, in toto R. orbe id exerere potuissent. Majestas est potestas in civitate ubique: ergo quodlibet Jus infert potestatem exercendi id ubique, cuius causa allegatur. Quod enim totum inhabitat, in omnes partes divagatur. Jam vero ne ullum quidem Jus absolute & ubique in urbe exercere eis licebat; eorum actibus facile per provocacionem ad populum irritis evasuris; id quod supra fusi tractatum fuit. Nunc vero belli tempus extraordinarii quid alebat, cum enim illud sine disciplina in rapinas & latrocinia degeneret; utique dispiendi erat, qui gladium stringere & militis pertulantiam corrigere valeret. Hinc vel Dictator prodebat, summa potestate terribilis: vel eadem extra ordinem honestabantur Consules, ut infra constabit: vel denique exercebant permisso populi jus belli ut Duces summi, non interturbandi temere in negotiis militaribus, per molestas provocacionis ambages. Simili exemplo Venetorum Dux apud exercitum summas tenet; imperio nihilominus radical.

dical. (liceat ita loqui) apud ~~apres~~ perdurante. Ex arboris superiore quidem parte excrecent folia: radicis tamen vis & hæc & illam protrudit. Ad fundamentum ergo; non speciem externam, sèpius fallenteim, respiciendum est.

XV.

Certum est, populum suæ potestati admodum hic fuisse velificatum. Hinc Livius: *Gratum id multititudini spectaculum fuit, summissa sibi esse imperii insignia, confessionemque factam, populi quam Consulis potestatem, vimque esse majorem.* Sic igitur multum detractum dicam? an derogatum plane potestati Consulium fuit, qui vivente adhuc Bruto ante legem Valeriam summam rerum in civitate tenebant. Plurimorum tamen jurium exercitium, tanquam primariis magistratibus eis superfuit: quæ quidem cumulat Justus Lipsius. Ac tum guidem hunc regiminis modum ad 17. fere annos deturbatis regibus tulit populus: nisi quod Dictatores fuerint interjecti, summa majestatis diadematè condecorati. Cum enim gravia sibi bella a finitimis metuebat Senatus, vel seditionis imminebat periculum; Consules provocatio- nis remedio populo superstite, sperni suæ authoritatis amplitudinem advertentes, ad hoc singulare imperium decur- rere. Hinc, SCTO hanc in rem concinnato, & a populo ratosfacto, nominaverunt Dictatorem, qui hostis impetum & plebis pertinaciam coerceret, insigni Reip. emolumento. Major enim & concordior vis, tumultus exortis procellis, in unius imperio, quem collega nemo aut interturbat im- probe, aut intempestiva mora tardat. Tum vero omnia re- galia jura fuisse restaurata haud immerito dixeris, & unius manibus redditia. Multum lucis hic affundit dictis JCtus noster, quando subjicit: *Populo deinde aucto cum crebra ori- rentur bella, & quædam acriora a finitimis inferrentur, inter- dum re exigente, placuisse majoris potestatis magistratum consti- tui:*

tui: itaque Dictatores proditi sunt, a quibus nec provocandi Jus erat, & quibus etiam capitis animadversio data est. Adstipulator huic adevit Dionysius: Sequenti vero die coacto rursum Senatu, detrectantem tunc etiam & contra omnium monita non decadentem (*Lartium*) de proposito, assurgens Clælius pronunciauit (ut Interreges consueverant) ipseque Consulatum ejurar. Hic primus omnium Romæ Monarcha designatus est, cum plenaria belli ac pacis omniumque aliarum rerum potestare, & Dictator appellatus. Hæc ille. Ex quo asserto haud obscure colligere est: Consules deposuisse simul quicquid illis fuit potestatis; aut certe ad Dictatoris nutum paruisse. Quod Papyrius Dictator satis evincit ipse: *Quæro de te Q. Fabi, cum summum imperium Dictatoris sit, pareantque ei Consules regia potestas, Praetores eisdem auspiciis, quibus Consules creari, aequum censem nec ne, magistrum equitum dicto audientem esse?* Nec mora virgas & secures expedire jussit, indubium absolutæ potestatis documentum. Hinc si Plutarcho & Appiano habenda fides fasces tum virgarum tum securium Dictatoribus prælati sunt. Hoc vero munus in eo abhorruit ab interregis dignitate: quod hujus imperium 5. dierum spatio circumscribeatur: illius ad 6. menses protendebatur. Hinc Pomponius: *Hunc Magistratum, quoniam summam potestatem habebat, non erat fas ultra sextum mensem retinere.* Et id est, quod Ulpianus dicit: *Apud veteres Dictatoribus ad tempus summam potestatem fuisse creditam.*

XVI.

Hactenus majestatis adhuc opinione venerabiles Consules a populo quidem, sed nullo magistratu coercendi. Scrutari nunc placet, quid per tribunorum constitutionem eisdem decesserit. Cum enim plebs premeretur; ab omni régiminis fere exercitio excluderetur, quod cum Consules tum Senatorès pro arbitrio agebant, ipsa vel parum curante, vel apto suco decepta; tum illa ex alto quasi sopore demum

demum excitata, indignata ad Senatus festum, cœpit juris in se quoque simul (cum pars populi habeatur plebs) transfusi, & ab illo inique intercepti meminisse. Stimulabat exercitos jam sedibus suis animos cum primis durissimum servitutis jugum, subinde subeundum, ex alieno a re laborantibus. Quæ licentia, sive lege, sive consuetudine permisla, eo procescit iniquitatis, ut multi in terga miserorum crudeliter sœvirent, instar mancipiorum servili illos modo agantes. Nihil libertatis dulcedine suavius; nihil servitutis pretio liberis hominibus ingratius. Deperdita res est, ubi plebs servitute se opprimi sentit, & ad conspirationem proximus gratus. Tum enim omnis imperii immemor, vel libertatem recuperare, vel ejus specie fascinata, morte simul ejus memoriam abrogare præsumit. Idem & hic evenit. Diagnos enim questus in Senatum illa expediebat sœpius, crudelitatis potentiam multum execrando. Se in eam conditionem detrudi, ubi non tam infra servorum, quam bestiarum ipsarum propemodium vilitatem se positam iri intelligeret; adhæc deserit a Patribus, & spe auxilii vana lactari. Jamque discurrentium fremitus tota urbe percrebescet. Incaluerat multitudo, pro Duce pervicacissimum futura. Cumque Sicinius quidam inclamaret, nihil esse cunctandum, prossint universi, & raptæ quæ quisque potuit arma ferentes, successione facta in montem sacrum reconciliare sibi allaboraverunt. A quo demum apta oratione, a conspiratione membrorum adversus ventrem defumta, persuasa est; si ex suo corpore magistratus crearetur, resistendi Senatus actibus, si qua plebis negotium ageretur, potens. Satis rem tangit Pomponius, *iisdem, inquit, temporibus, cum ples a Patribus secessisset, anno fere 17. post reges exactos, tribunos sibi in monte sacro creavit.*

XVII.

XVII.

Hinc igitur Tribuni plebis sacrosancti & inviolabiles, negotiorumque Senatus omnium Inspectores Cæterum eorum potestas ab initio intercessionis limites non excedebat, expers omnis judicii civilis: cum de jure controverso ferre sententiam eis vix erat integrum. Hinc Gellius: *Tribuni plebis antiquitus creati videntur, non juri dicundo, nec causis querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus praesentes fuissent, ut injuria, qua coram fieret, arceretur.* Post tractum vero temporis emergere ex imo & in magnum culmen eniti cœpit potestas Tribunicia. Iura enim reddidisse in civitate Tribunos, affirmat ICTus. Et quid aliud est, quod Ulpianus stipulationis tribunitiae meminerit, quam ut palam faciat, Jurisdictionem in eos competitissime? Omnis effectus suam præsupponit causam: nec ullum nobile judicantis officium, ad quod referendæ stipulationum formæ, sine Jurisdicione cernitur: alias irritum, alias injustum est. Omnes honorariæ stipulationes ex Jurisd. descendunt, quæ per merum Prætoris officium explanatur. Prætorias vero audire nostras, haec tenus in ICTorum scholis receptum est. Hinc Cl. Ludvvelus: *Prætoriæ vero stipulationes sunt, quæ a Prætore aliove Magistratu non judicante interponuntur.* Id quod manifeste etiam ad tribunos extenditur. Sed enim vero quam creverit & multum obfuerit consulari Tribunicia potestas, facile agnoscat quiunque in animos plebejos paululum inspexit. Ab imperio enim remoti infensissimi imminent Reip. statui: id vero consecuti, artis Imperatoriæ ignari, male tractant. Honores insveti rectitudini actuum obstrepunt: potestas se iis infundit, quam insolentia inflat, ut non nisi in crudelitate eam sitam esse arbitrentur. Satis exemplo hic tribuni sunt, adeo ad superbiam prolapsi, ut coercere Consules non con-

E tenti,

enti, eos in vincula conjecterint non semel, & ad mortem
damnaverint. Hinc Zonaras ait: *Consules ab iisdem (tribu-*
nis) in carcerem ductos; & quosdam indicta causa occisos, nec
eis adversari quenquam ausum, nisi sacer esse & ipse voluisse.
Nec minus est, quod ipsi Patres plebiscitis se submittere
per Tribunorum importunitatem fuerint adacti, lata lege
Hortensia; & plane ex plebe Consules quoque creati fue-
rint. Neque vero de Decem viris ero prolixior, quid per
eos temptum Nostris, lance curiose trutinaturus. Tum
enim temporis abdicasse se muniis omnes magistratus Pom-
ponius tradit. Qui tamen regiminis modus insolens &
gravis mox iterum locum fecit pristino. Ac tum quidem,
testante Livio, lex de provocatione altera vice fuit recu-
perata a Valerio quodam Consule, addita comminatione
si quis ullum magistratum sine provocacione creasset, eum jus
fasque esset occidi: nec eam cædem capitalem noxam fore. At
enim vero nec hic constantior plebs, rixis iterum enatis,
inter se & Patritios novos iterum extorsit magistratus, tri-
bunos nempe militum, tum ex se, tum Patribus creandos,
consulari potestate. Adi hic Pomponium. Sed enim ve-
ro hoc de omnibus post Brutii mortem a provocationis le-
ge, magistratibus, excepto Dictatore pronuntiaverim, ut-
cunque potestate præditos nihil transmutasse Democratiam:
siquidem populus potestatis tenax, nihil ejusdem a se ex
voluntate dimisit: quin quamprimum magistratum po-
tentia promicare cœpit, eam reprimere fuit adortus. Qua
fini & Lex Valeria tertium fuit suo robori restituta. Cum
enim plebi ad modum superbe & avare a ditoribus impe-
ritaretur, salutari provocationis remedio non una via im-
pedito; adhac cæderentur interdum provocatores, si qua
improbe proclaimare sustinerint; AM. Valerio tertium
lex de provocatione sancta fuit, qua insimul cavebatur,
ne

ne qui provocasset virgis castigetur; vel securi percutiatur. Eo igitur hæc omnia de Tribunis plebis, Decem vi-
ris, & Tribunis militum adducta fuere, non ut majestas
eisdem attribueretur; sed pateret saltem, quomodo &
dignitas suprema, Consulibus adhærens, vitium fecerit, con-
stitutis aliis magistratibus, vel majori, vel æquali potesta-
tis exercitio.

XVIII.

Hactenus igitur quoque potestatis Consularis decre-
menta; nunc incrementum, extra ordinem enatum, pau-
cis videamus: quo potestas iterum nobilitate & sibi vere
restituta est. Quod si enim atrox negotium oriretur, quod
desperabant omnes, vel per bella improvisa, vel per ur-
bis incendium, nec tam cito Dictator poterat prodi, vel
is non placebat; tum ad Consules summa Reip. cura abso-
lute devolvebatur, SCTo oblata. Formulam ejus brevis
& solennis depingit Justus Lipsius sequentem: viderent Con-
sules, ne quid detrimenti acciperet Resp. Hoc vero edicto
cessabat provocatio omnis, & animadversio capitális re-
staurata censebatur. Bene Salustius: Senatus decrevit, quod
plerumque in atroci negotio solet, darent operam Consules, ne
quid Resp. detrimenti caperet, ea potestas more majorum magi-
stratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere
coercere omnibus modis cives atque socios, domi militiæque, sum-
mum imperium ac iudicium summum habere: aliter sine populi
jus nullius earum rerum Consulis jus est. Hactenus Ille.
Hinc tandem negotium ita expedit cit. Lipsius: uno verbo
restituebatur eis hoc decreto, jus regium vetus, per provocatio-
nem aliasque leges ademptum. An vero extra hunc casum
servitutis & deportationis pæna multare valuerint cives
non spernendæ quæstionis est. Cum enim vita non lädere

E 2

tur

tur, videbatur id licuisse Consulibus. Sed enim vero eis animadvertere inhibet ICtus; id quod naturalem & civilem mortem importare mihi indubium est. Æque capitalia dicuntur, quæ deportatione, quam quæ ipsa morte expiantur crimina; & a civium societate instar putridi membra reficiendi, erat vita discedere. Hanc naturalem spiritus migrans exxit; civilis tum jam definit, sicubi juribus civitatis exciderimus. Non enim tunc homo quis ut animal & vivum spectatur; sed *ut homo civilis*, ut docet Heigius: vel *ut civis*, ut Welenbecius propugnat. Videatur & Bauchovius hic.

XIX.

Supereft ut de ultimis §. nostræ verbis dispiciamus:
SOLVM RELICTUM EST ILLIS (CONSULIBUS) UT COERCERE POSSINT, UT IN VINCULA PUBLICA DUCI JUBERENT. Quænam coercitio hic attendatur haud difficile ex antea dictis eruitur. Exulat enim hic capitalis, populo superius reservata. Mollior igitur amplectenda & ad modicam castigationem aptanda. Dicunt eam iis indulgandam quæ ex Jurisdictione promanat; hanc enim & quamcunque constituere coercitionem, quin omnem magistratum sua gaudere Jurisdictione. At enim vero si in latifundio suo Jurisdictionis notionem examinamus; post legem latam eam iis adhæsse, vix asseruerim. Quid enim aliud illa est, quam summa in rebus civilibus & criminalibus cognoscendi, statuendi & exequendi potestas? Illa vero per antea dicta expresse est recisa; qualis ergo Jurisdictione? Potestatem eis concedimus; sed non summam: Jurisdictionis exercitum; non jurisdictionem. Nullus eam magistratus jurisdictionem sibi vindicare potest. Hinc eleganter Calvinus inquit:
Quamobrem cum Suetonius in Caligula ait: Magistratibus liberam

beram jurisdictionem concessit, sine sui appellatione, non intelligit potestatem juris condendi; sed juris dicendi. Nam quum *Judex* jurisdictionem exerceat, dicitur *jus dicere*. Et enim non exterminat hæc vocabuli acceptio iCtorum præcepta, cuiilibet ut supra notatum, magistratui, jurisdictionem adscribentium: siquidem tum per Jurisdictionem non *Jus majestaticum*; sed *limitatam*, sed *restrictam*, sed dependentem potestatem indigitare solent. Et talem etiam competuisse in Consules post conditam legem, patet. Per coercitionem igitur h. l. modica intelligitur, quæ Jurisdictioni adhaeret; & sine qua jurisdictione nulla est. Hujus intuitu capere poterant pignora. Hinc Ciceron: *Pignoribus ablatis instituit eum coercere*. An & verberibus? id quidem ex Jurisdictionis incunabulis fluit, quia hæc ut supra dictum coercitionem poscit: at enim reluctatur. Valerius adstruendo, ita legem fuisse conceptam, ut ne civem Romanum adversus provocationem populi necare vel verberare Consules vellent. Rex expediti forsitan poterit, sicuti personæ & verbera attendantur. Idem & de multa placet. Quamvis enim passim ex Jure constet, ejus indicendæ potestate armatos esse magistratus; distinguendum tamen hic putaverim inter multam mediocrem & graviorem, quæ vel medium, vel maiorem partem bonorum fisco infert. Illam licuisse indicere (non tamen exinde negato auxilio provocationis) hanc fuisse prohibitam sine prævio populi consensu. Quo de casu exaudiendus Dionysius, quando habet: *si magistratus unum aliquem civem capite pleclere aut flagris cædere, aut pecunia multare velit, licere privato ad populum provocare*. Inter hæc notari velim multa sibi arrogasse tum Consules tum Senatores; quæ ex Jure præsumere non debuissent.

XX.


Ad ultimum potestatem in vincula ducendi conne-
xam coercitioni, quæ capitalem effugit, verius est, quam
ut prolixe hic id evincere conemur. Et fallit sequelæ
tenor a vinculis ad capitalem animadversionem. Hodie
enim omnes magistratus delinquentes in carcerem conji-
cere possunt; absit vero, quod judicare. Sunt vero vin-
cula custodia, compedes latumiaæ ac omnis generis coer-
citio; eaque JCtis vel publica vel privata. Quis vero
carcer hic insinuetur solitu facile est: cum privatus, qui
dicitur, per leges patere nequeat. Ad publicum igitur
res delabetur, quem magistratus habet ad puniendos ho-
mines infrunitos. Carcerum vero publicorum tria apud
veteres distinguebantur genera. Unum lene plane, quo
inciviles homines noctu detinebantur, ut a doctis viris bo-
nis ibidem moribus imbuferentur: alterum, quo alieno
ære obruti & carceris tædio ab inita vitæ petulantia de-
terrendi cladebantur: tertium quo immanibus polluti
delictis, cœlo, hominum consortio indigni, vitiis & vi-
tae turpitudine de famati, ac plebendi propediem, intru-
deabantur. Nec est, quod ambigam, omnibus his vin-
culis suos potuisse constringere cives Consules; senten-
tiām vero sotibus dicere haud potentes. Ad solum
proclamo omissis aliis Scipionem Asiaticum, fulmen illud
bellorum terribile; cui, testante Valerio, judicatæ
pecunia non satisdanti, vincula inserta sunt publica. Et
haec fere fata experti Consules sunt, initio summi, post
aliquantulum gradu inferiores: usque ad Imperatoris
tempora nostri tamen non plane eo dejecti. Licet enim
nihil plane potestatis, Imperatorum imperio invalescen-
te, abs se habuerint, eam tamen demortuam superstes
dignitas ab oblivionis caligine quasi vindicavit. Amplis-
simos

simos eos laudat JCtus : nec ab hoc multum diversus Zeno Imperator , glorioſiſſimi titulo decorare eosdem non fuit dignatus . Quid de nostro Imperatore Sacratissimo Justiniano proferam , Consulum authoritatem ex facili ſartam teſtamque præſtituro ? quantum erat , Patriæ potestatis ſacra egredi ? quantum erat , ex homine alieno juri ſubjeſto , ſui effici ? omnia ſibi acquirere ; plenarium Patrifam : jus indipisci . Hoc vero beneficium statim Consulibus designatis circumdedit Imperator , ut non interveniente manum iſſime Parentis ſui juris statim cendendi fuerint . Ideone vero hoc modo nec pars bonorum filii manebat Patrem , pro pretio emanicipationis ſive remuneratione alias conſerri ſolita ? Ita eſt . Parum enim utile privilegium foret niſi oneribus instantibus alias ſubmiſſos eximeret . Præter hæc ob remunerationem emanicipationis a Patre factæ illa bona eidem referabantur . Jam vero ceſſante cauſa , effectus quoque ceſſat . Prætereo cætera magnificentiæ argumenta . Sublevant enim iis partibus funeturum Theodos : & Valentum præprimis Justinianus ; ipſe eadem ſatis perſtrigens .

Is quoque fuit , qui miſſilia in populum jaſtare ,
argentea quamvis , eisdem reddidit . Sed
tantum de Consulibus .

Sit Deo laus & gloria .






ULB Halle
002 618 818

3



SB

Vdn7





Farbkarte #13

DISSE^TAT^O IVRIDICA

DE

CONSVLIBVS ROMANORVM

QVAM

P R A E S I D E

CHRISTIANO *Klengeln*
ICTO AMPLISSIMO ANTECESSORE CELE
BERRIMO CVRIAEC ELECTORALIS VITEBER
GENSIS CONSISTORII ECCLESIASTICI SCABINATVS
ET FACVLTATIS IVRIDICAE ASSES
SORE GRAVISSIMO ETC.

PUBLICAE VENTILATIONI SISTIT
E

GODOFREDVS SENIUS VITTEBERG.

AD D. XXIII. MAII ANNO MDCLXIII.

VITEMBERGAE,
RECVSA IN OFFICINA HAKIANA.
MDCCXXXIX.